



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tactatvs IV. De subalternatione habituum intellectualium, siue scientiam
habitualium.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

80 Obiicies tamen primo. Nulla facilitas in Deo est habitualis: quamvis enim Herrera 1. part. art. 37. quæstione prima habitum Deo tribuat, at contrarium est omnium philosophorum, & Theologorum: quamvis ergo facilitas, quæ est in Deo plura complectatur obiecta formalia, inde tamen quod argumentum desumi potest ad facilitatem creatam alterius ordinis, quæ quidem vere, & proprie est habitus. Respondeo, non esse cur, quoad extensionem illam, habitus aliquis alterius ordinis imitari quodammodo nequeat facilitatem Dei propriam, quantumvis non habitualement: licet enim non conveniant in ratione habitus, cæterum convenientiam habent, ac similitudinem in ratione facilitatis: aliunde vero in ea imitatione nulla videtur esse repugnantia terminorum.

81 Obiicies secundo: facilitas diuina est generationis, & corruptionis, intensionis, & remissionis per actus similes incapax: & tamen facilitas omnis creata acquisita, de qua sola est in præsentis sermo, siue sit huius, siue alterius ordinis generari potest, & corrumpi, intendi, ac remitti: quamvis ergo facilitas Dei propria sit indiuisibiliter extensa ad plura obiecta formalia, contrarium tamen dici poterit de quouis habitu acquisito, siue naturali, siue supernaturali.

82 Respondeo, non id nos tueri, omnem perfectionem facilitati diuinæ convenientem, illico transferri posse, ac debere ad facilitatem aliquam creatam, saltem alterius ordinis: Tantum ergo existimamus, facilitatis in Deo repertæ imitationem quandam inueniri posse in creatis, si id non repugnet ex parte creatæ facilitatis, vel, quia creata est, vel quia talis creatura est: At, nec generari, nec corrumpi posse, siue non posse incipere, & desinere repugnat omni habitui acquisito, etiam alterius ordinis, quia est qualitas creata: esse item intensionis, ac remissionis nesciam ei repugnat, quia supponitur peculiarem eius naturam, & conditionem esse, ut utramque postulet: alioqui enim, ut multæ aliæ res creatae possunt intendi, ac remitti, idem in habitum aliquem poterit conuenire; ac non in eum, quo de agimus. Cæterum neutro ex capite repugnat habitum alterius ordinis, de quo disputatio extendit indiuisibiliter ad plura obiecta formalia: quidni ergo quoad eiusmodi extensionem imitari queat diuinam facultatem in operando.

83 Quamobrem nullam in eo repugnantiam compertio, quod sit possibilis in alia rerum serie scientia totalis, quæ ad plura obiecta formalia, imo ad omnia partialium scientiarum se se porrigat, quin pro eorum multiplicitate sit multiplex habitus, sed potius vnus, & simplex. Quin etiam est probabile eius genij scientias esse infusas Christo Domino, ac Deiparæ, quarum scilicet quævis in suo genere, & in ordine ad vnum obiectum attributionis ut realiter vna, ac simplex qualitas, vel etiam quæ omnes collectim sumptæ eam sortiantur vnitatem, & simplicitatem.



TRACTATVS IV.

De subalternatione habituum intellectuum, siue scientiarum Habituum.

CAPVT I.

Qua, & quotuplex sit subalternatio.

M I S S I S autem aliorum opinionibus, quæ in quibus peccent capite sequenti breuiter perstringam veram subalternationem in communi sumptam arbitror, eam esse merito cuius principia vnus facultatis deriuantur à principiis alterius, & per ea possunt velut conclusiones à priori probari ita Arist. 1. Post. capite septimo & octauo & capite 13. atque eisdem locis veteres eius interpretes: id etiam indigitari ipsum vocis etymon: siquidem vnā facultatem subalternare aliam est, eam sub se habere; subalternari contra hanc illi est subiici, & ab illa dependere: huiusmodi autem dependentia vnus scientiæ, artifice ab alia tunc vsuenerit, quando altera per coniunctionem cum altera redditur evidens à priori, siue quod iuxta est, quando vna accipit ab alia causam, cur ita sit id quod velut principium assumit: optimo ergo iure hoc pacto rationem communem subalternationis explicuimus. Hoc etiam modo recte intelligitur quod ex Arist. & eius interpretum sententia ait Scotus in prologo sub quæstio. 3. in 5. quæstione laterali: *subalternata incipit, vbi desinit subalternans.* Namque facultas subalternans desinit in suis Conclusionibus subalternata vero incipit à suis præmissis: vbi ergo illius conclusiones sint huius præmissæ, fiet optime ut altera incipiat, vbi desinit altera. Denique hac ratione bene est quod dixit Arist. facultatem subalternatam scire quod res sit, siue quia sit, subalternantem vero propter quid sit: hæc enim, ut diximus, reddit causam ob quam ita sit, quod assumitur velut principium: ab illa: illa vero talem causam per se non assequitur, sed dumtaxat eius effectum cognoscit euidenter, siue immediate siue media aliqua inductione, aliove motiuo, quod non sit à priori.

Porro autem quemadmodum facultas alia est practica, alia est speculatiua, ita subalternatio nuper explicata bifariam cōtingit, ac duplex est: vna quidem, eaque prior solas facultates, practicas necit inuicē, & accidit ratione finis vtique exequibilis, quod nimirum finis, quem exequitur vna facultas, destinatur ad proximum finem alterius, siue, quod instar est, quado vna suppeditat alteri instrumenta, quibus sic operatura quo pacto frænofactoria equestris, hæc militari, & militaris politicæ subalternantur; contra vero politica militarem, & hæc equestrem, atque equestriss frænofactoriam ordine retroacto subalternant, sibi que subiiciunt. Idcirco autem has facultates practicas & alias similes proprie subalternantes & subalternatas statuimus, quoniam eis nuper tradita subalternationis finitio conuenit. Etenim ars frænofactoria, verbi gratia, solum cognoscit, quia frænum est ita cōficiendum, & quod

quod talia debeant eius esse loramenta, ac ferricula equestris vero docet propter quid frænum ita sit faciendum, & causam cur talia debeant esse, quibus constat, instrumenta: docet enim, quâ ratione incitandus, frangendus, circumagendus, sistendus, domandus, atque ad nutum moderandus sit equus: cum ergo nequeat prædictis modis regi, ac temperari, nisi fræno tali modo confecto, propterea ita conficiendum illud esse. Ecce quatenus primum principium artis frænofactoriæ, ratione cuius adhibet media ad executionem operis sui, probatur à priori & scitur propter quid vi regulæ siue principij equestris, adeoque quod est præmissa artis frænofactoriæ, id ipsum sit conclusio, quæ lumine superioris artis innotescit. Vide Durandum in prol. quæstione septima numero vndecimo.

3 Adde, quod huiusmodi veram subalternationem inter facultates practicas agnouerint Aristoteles primo Ethic. capite primo & primo politic. c. 5. cuiusque interpretes prædictis locis, item eius magister Plato in ciuili, his verbis: *Inprimis artes geminas circa omnia quæ fiunt consideremus: unam quidem generationis, ut ita loquar concusam, alteram vero causam ipsam. Quæcunque rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant quibus absentibus institutum opus nequaquam perficeretur, eas concusas, ut ita dixerim, nominamus: eas autem ipsas quæ principaliter faciunt, causas appellamus.* Rursus in Euthidemo sic ait: *cum res militaris, ac facultates omnes reliquæ operum suorum imperium ciuili arti submittere viderentur, utpote quæ sola vti sciat, nihil nobis impedimento fore putabimus, quo minus hæc esset quam querebamus, causa rempublicam administrandi, & secundum illud Æschyli puppi sola ciuitatis præsidens, & gubernacula totius tenens, omnibus dominans, omnia vtilia reddens.* Hæc ille,

4 Posterior species subalternationis practicas & etiam speculatiuas complectitur, facultates: atque ratione obiecti vsuuenit; quando videlicet obiectum vnius, facultatis, siue actiue siue contemplatiue continetur sub obiecto alterius, eique differentiam, non essentialem, sed accidentariam superaddit. Hoc modo medicina subalternatur Physicæ, quoniam hæc corpus in communi, illa vero corpus sanabile respicit: eodem etiam modo subalternatur mathesis Physicæ, quia hæc corpus ut sic, illa vero corpus prout quantum siue mensurabile intuetur: Item musica subalternatur hoc pacto arithmeticæ, quæ attingit numerum secundum se, cum tamen illa numerum prout sonorum, & auditui oblectando idoneum consideret. Perspectiua etiam simili ritu geometriæ subalternata dicitur, propter id quod hæc lineam, siue quantitatem nudè sumptam discutit, perspectiua vero eam prout coloratam, & aspectabilem.

5 Idcirco autem obiectum scientiæ hoc modo subalternatæ debet collocari sub obiecto subalternantis: quoniam ea si inuicem disparata sint, ac mutua illa habitudine destituta, eorundem etiam scientiæ reciproco ordine, omnique subalternatione carebunt, nec erit ut principia vnius ex alterius fontibus hauriantur, ut scitè animaduertunt Conimbric. in caput decimum de demonst. quæstione secunda articulo primo Debet insuper obiectum vnius scientiæ contrahi per obiectum alterius cui subiicitur, additione

differentiæ accidentalis: quia, si differentia sit essentialis, sic ut obiectum, quod contrahit sit quædam species, contractum vero genus, nulla erit subalternatio inter scientiam vnius, & eam quæ est alterius. Cuius ratio hæc est: nam scientia de genere, & specie, siue ratione communi, & inferiori eam essentialiter contrahente, eadem ut plurimum est, sicut docet Aristoteles quarto metaphys. textu. quarto & quidem merito: vtriusque enim illius obiecti inter se identitas quidni etiam in vtriusque scientiam redundet? Ut autem vna scientia sit alteri subalternata oportet eas esse distinctas: subalternatio namque, qualis-qualis sit dependentia quædam est vnius facultatis ab alia, & adiutorium illud, quod vna præstat alteri: proinde distinctionem earum postulat, ut recte Seneca Epist. 88. *cum ventum est ad naturales quæstiones, geometria testimonio statuitur. Ergo eius quam adiuvat pars? Multa adiuvant nos nec ideo partes nostræ sunt: imo si partes essent, non adiuvarent. Cibus adiutorium corporis, nec tamen pars est. Aliquid nobis præstat Geometria ministerium, sic philosophia necessaria est quomodo ipsi faber, sed nec hic geometria pars est, nec illa philosophia.* Hactenus ille. Quod si differentia, quam obiectum vnius scientiæ superimponit obiecto alterius, sit accidentaria, tum equidem vtrumque obiectum distinctum erit, sicut ad scientias distinguendas opus: erunt etiam ambo inuicem catenata, prout ad subalternationem facultatis vtriusque requiritur. Præterea etiam si aliquando vsuueniat, ut ratio communis, ac generica, & etiam specifica, inferiorve per differentiam essentialem contracta pertineant ad diuersas scientias, propter diuersam abstractionem à materia, quo pacto ens, substantia accidens in communi ad metaphysicam spectant, eorum tamen species inferiores entia nimirum substantiæ, & accidentia corporea ad physicam, cæterum gradus illi remotissimi propter coniunctionem cum differentiis essentialibus, per quas contrahuntur, paucissimas proprietates communes inferunt, quæ vi illorum possint à priori demonstrari: pleræque enim passionem entium inferiorum ostenduntur per eorum proprias, & particulares differentias, & non per prædicata illa latissima ad metaphysicam attinentia, sicut experientia testatur, & inter alios author est P. Suarez, disput. prima metaphys. sectione sexta numero 50. quid mirum ergo si, defectu huius dependentiæ in cognoscendo, scientia de ratione specifica non subalternetur gradui celsissimo entis, substantiæ, aut accidentis, quem essentialiter contrahit? longe alia conditio rationis inferioris, quæ superiore per accidens contrahit; vnius enim proprietates & conclusiones sunt principia quibus à priori demonstrantur proprietates alterius, uti ad veram subalternationem oportet.

6 Et enim omnia medicinæ, verbi gratia, principia, quibus ostensue probat aliquid de obiecto suo, sunt quædam notitiæ; quibus patefunt virtutes actiue, & passiuæ rerum naturalium, videlicet quod corpus excessu caloris ægrum medicamento frigido curari debeat, contrà vero calidum medicamentum adhiberi debeat ei, qui frigido aliquo morbo laborat, quod etiam humidæ agritudines siccis remediis,

remediis, & sicca humidis sint curandæ: hæc autem principia, & reliqua similia, siue ea sint communia, siue ad certam, ac particularem materiam applicata, probantur à priori per Philosophiæ naturalis principia, cuiusmodi sunt contraria contrariis expelli, item calida frigidis, humida siccis contrariis expelli, ex his enim optime inferitur, horum excessum per illorum applicationem, & è conuerso corrigendum, atque curandum esse, vt rectè docent præter alios Durandus, citata quæst. prolum. 11. & Auerſa quæst. 27. log. section. 6. paulo post medium. Rursus mathematica principia, tamen si non omnia à priori demonstrantur in Philosophia naturali, at multa sanè, sicut ad vnus ab altera dependentiam, & vtriusque subalternationem non totalem quidem, sed tamen veram, & propriam satis est, vt bene Suarez loco citato numer. 47. Quod enim à quouis puncto ad quoduis punctum linea duci possit, supponit mathematicus, Philosophus autem probat propter id quod punctum non est immediatum alteri puncto, sed potius alicuius interseccionis partis dissitum ab eo. Iam, quod basis trianguli rectilinei, & æquilateri in duas partes æquales diuidi queat, sicut & angulus ei eminens, mathematicum dogma est, atque principium: probatur autem à priori in Philosophia naturali, quia linea triangulo illi velut basis subiecta non constat vnquam solis punctis finitis, quæ multoties bifariam diuidi nequeunt, ad modum quo plures numeri finitis vnitatebus constantes æqualem sectionem non subeunt, sed potius partibus infinitis. Ex eadem etiam infinitate probat Philosophus à priori hoc principium mathematicum, à quouis puncto circuli superioris, & maioris mitti posse ad centrum lineam rectam per quoduis punctum circuli inferioris, quia vsquam duæ lineæ cœcant, aut litteram Pythagoræ obliquatæ efficiant. Innumera alia eiusmodi principia à philosophicis dignitatibus lucem, & probationem accipiunt. Egregie quidem Seneca ep. 88. *Sapiens enim causas naturalium, & querit, & nouit, quorum numeros mensuraeque geometres persequitur, & supputat. Quæ ratione constant cœlestia, quæ illis sit vis, quæ natura, sapiens scit: cursus & recursus & obseruationes, per quas descendunt & allenantur, ac speciem interdum stantium præbent, cum cœlestibus stare non liceat, colligit mathematicus. Quæ causa in speculo imagines exprimat, scit sapiens. Illud tibi geometer potest dicere, quantum abesse debeat corpus ab imagine, & quales forma speculi quales imagines reddat. Magnum esse solem Philosophus probabit quantum sit, mathematicus qui vsu quodam, & exercitatione procedit: sed vt procedat impetranda illi quadam principia sunt. Non est autem ars sui iuris, cui precarium fundamentum est: Philosophia nil ab alio petit, totum opus à solo excitat. Mathematica (vt ita dicam) superficialia est, in alieno edificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad vltiora perueniat.*

Denique Geometriæ perspectiua, & Arithmeticæ Musica ita sunt illigatæ merito obiectorum, quæ prout accidentaliter affecta respiciunt, vt ex illarum principis harum principia à priori probentur. Verbi gratia rem propè sitam maiorem apparere est principium perspectiue: eius autem probatio à priori est hæc dignitas geometrica; lineæ procedentes ab eadem basi quo propius coniunguntur eo maiorem angulum efficiunt: hinc enim sequitur, angulum visorium esse maiorem, quo propius est obiectum, & hoc proinde maius apparere, vt pote quod non nisi per radiorum, aut specierum angulosam pyramidem in oculo delineantem videtur.

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

Eiusmodi multa, imò ferme omnia habet perspectiua respectu geometriæ: eiusmodi etiam non pauca musicæ, si comparatur cum arithmetica, & proportio numerorum in voce, cum proportionem numerorum secundum se.

Atque hæc est ratio, quapropter dependentiam hanc vnus scientiæ ab alia munere obiecti, quod aliter & aliter vtrique respicit, altera scilicet nudum, altera vero accidentaliter affectum, veram subalternationem statuimus, quia nimirum ita fit vt principia vnus sint conclusiones deductæ ex principiis alterius, sicut inductione facta liqueſcit. Adice quod Aristoteles primo post. capite decimo, & alibi sæpè huiusmodi subalternationem ratione obiecti agnoscat, & quod plus est, exemplis à nobis adductis eam declarat.

C A P V T II.

Quousque euidencia esse debeant principia, quæ à scientia subalternante accipiunt subalternata?

Præcedenti capite subalternationem in communi sumptam, eamque veram, ac germanam, & omni metaphora, ac improprietate alienam exposuimus: mox vnâ speciem, & post hanc, alteram ei subdidimus. Reliquum est, vt has tres rationes, communem videlicet & duas ei subiectas, quoniam plura de illis supersunt dicenda, iterato examine ad trutinam plusculum castigemus, & nonnullis tandem illationibus totam hanc de subalternatione doctrinam absoluamus.

Ergo circa subalternationem in communi à nobis explicatam illud primum dubitari potest, quo pacto, cum scientia subalternata euidenter concludit, ea principia prius cognosci debeant, quibus à subalternante acceptis vtitur: Prima sententia est, satis esse vt ea sint ineuidenter cognita, ac duntaxat credita per fidem humanam, qua quis sibi persuadeat earum manifestam probationem, ac plenam euidenciam contineri in principiis scientiæ superioris nondum cognitis. Sic Capreolus, Caietanus, Siluester, Canus, Albertus, Agydus, Hispanensis apud Conimbrienses in cap. 10. de demonstr. quæst. 2. artic. 2. Huius autem sententiæ fundamentum est: quoniam, licet conclusio scientiæ subalternatæ oriatur ex principio proximo tantum credito, & ineuidenter cognito, ea sola scientia si quis sit præditus, cæterum mediâtè, & remote proficiscitur ex aliquo principio scientiæ subalternantis, vbivbi hæc existat, mediante scilicet fide, quæ credit dari tale principium euidens vnde demonstrari possit principium proximum quo vtitur: euidencia autem conclusionis peti debet à principio remoto, & vltimo, quod videlicet est per se, non vero à proximo, cuius euidencia est omnino per accidens, & ex facili solet adesse, & abesse. Allegant etiam Aristotelem 1. top. cap. 1. dicentem, scientiam enasci ex principiis, quorum habemus fidem. Denique inferunt, Theologiam nostram proprie subalternari scientiæ Dei, & beatorum: quoniam principia, quibus vtitur, sunt euidencia, non in nobis, ac secundum se, & in altiori cognoscente, Deo scilicet, & beatis.

Enimvero hæc sententia manifestè contradicit Arist. lib. 1. post. c. 2. Si igitur ipsum scire tale est quale posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam ex veris, & primis, mediisque vacantibus, & ex

R.

notiori

notioribus ausis, & prioribus ipsa conclusione, cuiusque eiusdem esse. Et paulò post: Oportet autem & exprimis & indemonstrabilibus esse: quia non scit, qui demonstrationem horum non habet: scire enim non per accidens ea quorum est demonstratio, nihil aliud est sanè, quam demonstrationem habere. Ecce docet, principia cuiusvis scientiæ tantum debere abesse à quavis inevidentia, ut etiam conclusionis evidentiam necessariò superent: item ea esse indemonstrabilia, ac per se nota, aliunde verò oportere eorum demonstrationem hoc est aliquam evidentem notitiam haberi. Rursus tota evidentia conclusionis manat à præmissis: ubi ergo hæ non fuerint evidentes, illa evidens quæ poterit esse? Huc facit Aristotelica ratio citato capite 2. Cum autem credere, scireque rem talem per ratiocinationem oporteat, quam demonstrationem vocamus: hæc vero est, quia sunt quibus extruitur ratiocinatio, necesse est, non solum prima illa, vel omnia, vel aliqua prius noscantur, sed etiam ut magis noscantur: semper enim & illud tale magis, ob quod unumquodque tale est: veluti magis id est dilectum, atque amatum, ob quod amamus atque diligimus. Quare si ob prima scimus, ac credimus, & illa sanè scimus, ac credimus magis, quoniam ob illa & ipsa scimus posteriora. Vnde sic argumentor: fieri nequit, ut vnam rem ames immediatè propter aliam, verbi gratia, medicinam propter sanitatem, quin hanc magis ames, imò etiam maiori amore complectaris: similiter ergo nequit esse, ut conclusionem aliquam evidenter cognoscas vi alicuius principij proximi, & immediati, quin hoc aliqua tibi evidentia, imò maiori, si Aristoteli credendum est, innotescat.

12 Quod autem aiunt aduersarij satis esse ad evidentiam conclusionis subalternatæ quod evidentia sint eius principia remota, videlicet illa, à quibus incipit scientia subalternans, nihil habet momenti: sicut enim effectus physicus magis dependet à sua causa proxima quam à remota, & ab hac per accidens, ab illa verò per se, uti in nepote, verbi gratia, contemplatione Patris, & aui cernitur; ita similiter effectus intentionalis, cuiusmodi est conclusio, quoad evidentiam suam, plus pendere debet à principiis, siue præmissis immediatis, quam remotis, & ab his per accidens, ab illis verò per se, cum concludens remota sæpè sæpius ignoret, proxima vero nunquam. Haud ergo satis est ad evidentiam conclusionis, ut eius principia mediata sint manifesta, sed requiritur ut potius manifesta sint eius immediata, & proxima principia, nimirum quæ, contra quam aduersarij sentiunt, in eam magis influunt. Quæro etiam, an principia remota evidentiam suam transmittant in assensum conclusionis immediatè, vel mediatè? prius dici nequit, alioqui non essent remota: posterius autem si dicatur, necesse erit fateri, principia proxima accipere à remotis lucem aliquam, & evidentiam: alias eius transmittendæ medium aptum esse non poterunt: quemadmodum sol subiecta terrarum haud prius illuminat, quam mediam ætris plagam traiectis per eam radiis longè, latèque collustrer.

13 Rursus quod contrarij adducunt ex Aristotele frivolum est: tum quia ibi non habet specialem mentionem de scientia subalternata: tum quia fidem ibi latè sumit pro evidentia; quæ enim evidenter nota, & indemonstrabilia, hæc ab eo dicuntur seipsis habere fidem, & illam sponte sua mereri: tum etiam quia libro 1. poster. capite 2. totus est in eo ut ostendat, principia demonstrationis oportere esse evidentia; & tamen ea credi, seu fidei subiaci, tertio

quoque verbo ibidem tradit: satis sint, præter verba nuper adducta, ea quæ mox subdit; Magis enim principiis, aut omnibus aut quibusdam credere quam conclusioni necesse est: atque & qui per demonstrationem scientiam habuitur est, non solum ipsa principia magis nota, magisque credita sint, quam id, quod ex ipsis ostenditur, oportet: sed etiam nihil prorsus eorum quæ principis iis opponuntur, undeque ratiocinatio falsa, veraque contraria existat, aut credibilis aut notius principis ipsis sit, oportet. Quinetiam conclusionem demonstrationis evidenter sciri nemo est qui nesciat: nihilominus eam credi adasserit Aristoteles, ut ex eius contextu iterum, iterumque citato patrescit.

14 Denique quod aiunt Thomistæ, Theologiam nostram subalternari scientiæ Dei, ac beatorum, procul vero est. Primum, quia subalternatio vnius scientiæ speculatiuæ respectu alterius oritur ex obiecto, quod utriusque partim idem, partim est diuersum, & ab vna nudum, ab alia velut affectum aliqua differentia accidentaria consideratur: atqui obiectum nostræ Theologiæ, & Theologiæ Dei & beatorum, est omnino idem, nec à nobis aliud quam ab ipsis cognoscitur, sed idem alter; quia nimirum quæ nos lumine fidei, ac diuinæ reuelationis, & per speculum atque in ænigmate cognoscimus, illi clarè & per habitum gloriosi luminis intuentur. Caietanus respondet, Deum secundum se esse obiectum Theologiæ suæ, ac beatorum, nostræ verò Deum, prout reuelatum, ac proinde tanquam affectum aliqua differentia accidentali, & extrinseca. Parum tamen solidè: reuelatio enim est differentia accidentaria Dei tenens quidem se ex parte principij, quo vitur Theologia nostra, non vero ex parte obiecti, quod per conclusiones ostendit suas: hæ namque talem reuelationem instar obiecti non respiciunt, nec de ea, sed de mysteriis reuelatis secundum se procedunt, Deumque, verbi gratia, esse trinum, & vnum, carnem sumplisse, mortem obiisse, aliaque similia passim concludunt.

15 Addit aliam solutionem Caietanus: nec enim est tam stupidus, ut non videat, priorem elumbem esse, & in ea operam se luisse: ait ergo, eam diuersitatem accidentariam obiecti non esse necessariam, ut vna scientia subalternetur alteri. Cæterum hoc suprà impugnatum est, & iterum inferius refelleretur. Præterea, ut scite animaduertit Molina prima parte, quæstione prima, articulo secundo, disputatione tertia, scientia subalternata concludit de obiecto suo nouos quosdam effectus, atque attributa, quæ neutiquam curat scientia subalternans: verbi gratia, astrologia geometriæ subalternata eclipses futuras, earumque durationes, &c.

Vnde imber, & ignes, Virgil. lib. 1.
Arcturum pluuiasque hyadas, geminosque iriones: *Ænæ.*
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

At nostra Theologia nullos effectus, aut attributa demonstrat, quæ non cadunt sub scientiam Dei & beatorum. Item causam seu rationem propter quam ita sint articuli fidei, quos velut principia sumit Theologia nostra, reddit ipsa sola, & per sua principia lumine fidei cognita demonstrat, non vero à Theologia Dei, & beatorum emendicat: non est ergo, quod huic illa subalterne

subalternetur: nihil enim est notius, aut communius in Aristotelis doctrina, quam facultatem subalternatam, non ostendere de principis suis, propter quid se habent. Tandem scientia subalternans, & subalternata possunt, & solent esse simul in eodem intellectu: Theologia autem viatorum, & ea quæ est beatorum, non conveniunt in eundem intellectum: altera enim nititur principis fidei obscure cognitis: fides autem evanescit ad primos radios luminis gloriæ cui nititur altera, sicut Author est Paulus ad Corinthios epistola prima capite decimo tertio.

16 Posterior ergo sententia, eaque, quantum ego sentio, longè probabilior est, principia, quibus vtitur scientia subalternata, & ex quibus aliquid evidenter colligit, debere hoc ipso evidenter cognosci, aut à priori, per principia scientiæ subalternantis, ea si non caret, qui subalternatam habet, sin autem ea carer, à posteriori, & inductione plurium singularium: nam hoc etiam argumentum est necessarium, & evidentiā parit: tum, quia id docet Aristoteles libro secundo. post. capite decimo octavo. tum etiam, quia natura est ad vnum destinata, ideoque si plurima singularia, quæ passim experimur, ita se habent, manifestum nobis esse debet, reliqua omnia eiusdem esse conditionis: qua ratione perspectiva, verbi gratia, à posteriori & sufficienti quadam inductione, ac plurium singularium experientia evidenter colligit, rem omnem, quo propior est, eo maiorem videri. Vel ergo hoc pacto, vel certè à priori evidenter cognosci debent principia scientiæ subalternatæ, ut evidenter conclusionem pariant. Ita Aureolus Gregorius, Durandus, & plures alij scholastici in prologo sententiarum. Ita etiam Vasquez, Molina, & alij non pauci prima parte quæstione prima. Item Suarez disputatione prima metaphysicæ sectione quinta, Comibricenses loco sæpe citato, Hurtadus disputatione prima, metaphysicæ sect. 8. Averrà supra laudatus, & communiter alij recentiores.

17 Pro maiori tamen luce, & explicatione posterioris sententiæ, quam amplexi sumus, duo adversus eam obicienda sunt atque remouenda. In primis contra obiicies, superius lib. 7. huius operis tr. 6. cap. 6. dub. 2. in respons. ad 6. rat. contrariam concessisse nos, possibilem esse conclusionem aliquam evidenter, ac certam, quæ oriatur ex præmissis omnino inevidentibus, & incertis. Nobis ergo non cohæremus, sed potius inconsequentissime nos gerimus, dum in præsentia adversus Thomistas tuemur, non posse conclusiones evidentes scientiæ subalternatæ, & inferioris, stante earum evidentiā, ac certitudine, deduci ex conclusionibus scientiæ subalternantis inevidenter cognitis, ac duntaxat creditis per fidem humanam qua scilicet quis sibi persuadet, in scientia subalternante, & superiori esse principia, per quæ possint illæ evidenter, manifestè probari. Rursus citato tract. & cap. 6. lib. 7. Aristot. constituentem præmissas demonstrationis esse debere certiores, & evidētiore conclusionē, retulimus, & reiecit: nullo ergo iure, nulla consequentia doctrinam illam Aristotelis, eiusque autoritatem à nobis exculcatas Thomistis tamen hic obiiciamus.

18 Respondeo, his non obstantibus quæ modo asserimus, & quæ asserimus loco nobis obiecto, optimè cohære inuicem, nullamque in iis esse contrarietatem, aut veram antinomial. Ratio est: quia tract. 6. & c. 6. lib. 7. duntaxat statuimus, conclusionem, si præter præmissas habeat aliud medium, vi

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

cuius sit certa, & evidens, aut si, quod iuxta est, ex obiecto proprio, & intrinseco sit per se nota, manifeste appareat, deduci quidem tum posse ex præmissis incertis, atque inevidentibus: sicut enim intellectus ad spirituale cognitionem eliciendam à phantasmate corporeo, & inferioris ordinis determinatur, quidni etiam determinari, iuvareque possit à præmissis inferioris ordinis, omnique certitudine, & evidentiā destitutis ad conclusionem aliā certam, & evidenter efficiendam? quod enim deest perfectionis talibus præmissis, id suppleri, & impendi potest ab intellectu, & motivo proprio conclusionis. At nusquam loco illo, qui nobis opponitur, adstruximus, conclusionem, quæ non aliunde, nisi ex præmissis, earumque motivo, sit evidens, & certa, talem tamen esse posse, tamen præmissa sint inevidentes, atque incertæ: quandoquidem ergo Thomistæ, eorumque sectatores docent in præsentia, conclusiones scientiæ subalternatæ vi sola principiorum, quæ à subalternante emendicat, esse evidentes, ac certas, veraque ratione scientificas, licet eiusmodi principia inevidenter, & incertè, atque cum formidine cognoscantur, tantumque fide humana credantur contineri in altioribus principis, quibus pollet, quorumque notitiam habet evidenter, qui scientia subalternante præditus est: idcirco iure merito præfatos authores impugnamus, & ne latum vnguem à veriori doctrina alibi à nobis tradita discedimus, sed potius rationibus, quibus adversarios vigemus, & vis inest, & simul consequentia. Quod ad Aristotelem attinet, fatemur eum, loco iterum, iterumque memorato, pro sententiā statuente, præmissas oportere esse certiores, evidētiore conclusionē relatum esse à nobis, atque reiectum: ibi ex propria sententiā locuti sumus, maiori rationis, quam autoritatis respectu habito, quod verius apparuit in medium protulimus. Caterum quando impræsentiarum Aristotelis doctrinam, & autoritatem, quas modestè deferuimus, Thomistis opponimus, non tam ex propria opinione, quam ad homines argumentamur: & cum Aristotele se muniant adversarii, Aristotelicam doctrinam, quam scimus et si falsam iis tamen placitum, contra eos adducimus: ut sæpe alias in scholis fieri consuevit.

19 Obiicies secundo, non rectè habere quæ docuimus hoc ipso cap. in expos. posterioris sententiæ, quam ut veriozem secuti sumus: ibi enim tradidimus, si quando contingit, eum, qui scientiam habet subalternatam destitui subalternante, tum certe non ex huius principis, siue à priori, sed à posteriori evidentiā esse, ac manifesta principia illius. Tum sic: igitur in eo euentu scientia subalternata totam suam evidentiā, & quoad conclusiones habebit sine subalternantis influxu: nulla igitur vnquam est vtriusque subalternatio, nullaue vnus ab alia essentialis dependentia. Hoc autem absurdum haud videtur sequi ex Thomistica sententiā, utpote iuxta quam principia facultatis subalternatæ semper inevidentiā sunt, & obscura, donec cum scientia subalternante coeant, eiusque beneficio reddantur evidentiā, ac manifesta. Sed, ut ab hoc ultimo incipiam, claritas scientiæ subalternatæ, non solum quoad eius principia, sed multo maxime quoad conclusiones debet esse dependens à scientia subalternante: conclusiones enim sunt, quæ magis proprie rationem scientiæ participant, adeoque penes eas vnus scientiæ ab alia dependentia debet esse: atqui iuxta Thomistas conclusiones scientiæ subalternatæ, evidentes sunt, quin scientia subalternans in eodem intellectu existat,

R r 2

vnde

vnde inferitur eam talis evidentia & claritatis causam non esse: dependentia ergo vnius scientia ab alia; quo ad evidentiam conclusionum, & vtriusque subalternatio nequit ab eis defendi, si cuius est ponderis argumentum factum, cui magnopere confidunt. Deinde respondeo, quod dici consuevit, scientiam subalternatam, quoad evidentiam principiorum suorum, adeoque etiam conclusionum, dependere à scientia subalternante, id intelligendum esse de evidentia propter quid, siue à priori, non vero de quacunque alia: quoad aliquam ergo, quæ non sit à priori, sed à posteriori vnam independulam esse ab alia (quod solum sequitur ex nostra sententia) nequitum est absurdum, vt expendenti constabit.

CAPVT III.

Quando principia scientia subalternata demonstrantur ex principiis subalternantis, ad quam earum spectet conclusio subalternata?

20 **P**rima opinio est aliquorum Recentiorum, quos tacitis nominibus referunt Conimbricensi, in relatum cap. 10. de demonstr. quæst. 2. art. 2. propè medium, eam conclusionem demonstratam à priori spectare ad scientiam subalternatam. Attamen displicet hæc sententia primo quia, iuxta Aust. & antiquos omnes, scientia subalternata scit quia, & non propter quid, principia vtriusque sua: quod enim attinet ad conclusiones suas, eas propter quid cognoscit, & per principia à scientia superiori accepta à priori demonstrat. At si principia sua à priori ostenderet per principia scientia subalternantis ea sciret, illo genere cognitionis quod propter quid appellant: Reicienda igitur est ea doctrina, ex qua huiusmodi sequitur absurdum. Rursus secundo ex ea fieret, eum qui pollet scientia subalternata, hoc ipso etiam callere principia subalternantis, nec esse posse, vt aliquis sit perspectiuus & non geometer, musicus & non arithmeticus, medicus, aut mathematicus, & & non Philosophus naturalis: quod tamen experientia repugnat.

21 **S**ecunda sententia est, eam conclusionem, qua ex principiis scientia subalternantis demonstratur principia subalternata, ad illam, & non ad hanc pertinere: ita Auerſa q. 27. log. q. 6. eius fine. Verum fallitur primo: quia scientia subalternans, si concluderet per sua principia propria, ea quibus vtitur subalternata, nemo foret arithmeticus, qui non musices: aut geometer, qui non perspectiuus: aut Philosophus naturalis, qui non medicus, ac mathesis principia calleret: cuius tamen contrarium experimur. Vltius secundo: si facultas subalternans, & subalternata idem semper principium demonstrarent; hæc, quia; illa propter quid: profecto quævis veritas ita conclusa, & demonstrata magis pertineret absolute sumpta ad scientiam subalternantem, quam ad subalternatam, quandoquidem illa perfectius eam assequeretur: consequens est absurdum: quis enim dicat hæc principia rhapsodicum purgat cholera, raphanus eam accendit, helleborum curat melancholiam, somnus meridianus nocet oculo, fel caliolemi piscis cæcitatem dispellit, aliaque innumera similia magis ad Philosophum naturalem, quam ad medicum pertinere.

22 **T**ertia opinio est, conclusionem illam, qua osten-

ditur à priori principium aliquod facultatis subalternatæ per aliud subalternantis proprium, esse mixti generis, nec ad alteram sine altera, sed potius ad vtriusque simul pertinere: ita Conimbricensis supra citata quæst. 2. art. 3. ad finem. Sed in hac sententia illud in primis difficile, quomodo eadem conclusio, vtriusque, & eodem obiecto freta ad diuersas scientias, cuiusmodi planè sunt subalternans, & subalternata, simul pertineat. Mox, tametsi eo pacto explicetur, aliquem habere posse scientiam subalternatam sine subalternante, quia scilicet neutra solitarie sumpta sibi vendicat demonstrationem illam propter quid, quæ quidem principia vtriusque scientia complectitur; cæterum illud remanet inexplicatum, quomodo scientia subalternata cognoscat veritates suas primas, ea duntaxat cognitione, quam quia vocant, & non etiam perfectius, ac propter quid: etenim quod demonstratio propter quid, non procedat ab ea nisi in consortio scientia subalternantis, & superioris, id non tollit, quo minus absolute ita demonstrat, haud secus ac ignis verè calefacit, esto non sine concursu, ac præsidio causæ primæ, & superioris ita operetur.

Ego, vt difficultati satisfaciam, aduerto scientiam subalternantem dupliciter accipi: primo, ita vt sit docens tantum & inchoata, vlti vero nondum perfecta, propterea scilicet, quod consideret principia sua duntaxat solitarie, & non applicatè ad eos effectus, qui sunt principia scientia inferioris: secundo, ita vt sit vtens, vltiue perfecta, & consummata, propterea nimirum quod respiciat principia sua applicatè ad eos effectus, vnde incipit scientia inferior, eosque huic non sine probatione à priori communicet, atque manifestet. Aduerto similiter ex doctrina Aristotelis, 1. metaphys. cap. 1. facultatem subalternatam bifariam etiam sumi: primo pro ea quæ est architectonica, & perfecta, ac principiorum, quibus vtitur, causas affert: deinde pro ea, quæ est inchoata tantum, & causarum cognitione nondum perfecta. Aduerto tertio, licet scientia subalternans & subalternata distinguantur, strictim ac sine tora perfectione sua sumpta, cæterum eas indistinctas esse, si latius sumantur, & altera ad vltum descendat, altera vero ad doctrinam, & cognitionem causarum ascendat: quapropter geometria vtens, verbi gratia, & musica architectonica diuersa nomina sunt, vnates, & quamuis duplicem scientiam sonent, vtrique tamen est vna quædam scientia, media inter geometriam docentem, & musicam, imperfectam, & non architectonicam, quæ quidem geometria, & musica multoties absolute dicuntur, quoniam de his facultatibus, prout inter se distinctis, communiter sermonem habemus. His annotamentis præiactis.

24 **R**espondeo, conclusionem demonstratiuam, qua de agimus, non pertinere ad scientiam subalternantem inchoatam, ac solum docentem, nec etiam ad subalternatam imperfectam, ac nequitam architectonicam; at spectare ad scientiam, tam subalternantem, quam subalternatam, vtrique si constet tora sua perfectio, & doctrinæ, vltiue consummatio. Prior pars huius doctrinæ est Aristotelis libro primo post. capite decimo, vbi loquitur hunc in modum: alio vero modo differunt esse, & propter quid est, quod per aliam, atque aliam vtrumque consideratur: tales autè sunt ea, quæ ita sese habent, vt altera sub altera collocetur. Vt ad geometriam perspectiuam, & ad solidorum scientiam machinarum facultas extruendarum, & ad arithmeticam musicam, & ad astrologiam sese habet.

12 *habet horum scientia qua apparent. Atque harum nonnulla scientiarum nomine ratione fere conveniunt: ceu astrologia est & ipsa mathematica, & navigandi scientia, & musica est ea que mathematica: & qua auditum oblectat. Hic enim ipsum quidē esse ad eos pertinet scire, qui sensu videntur: ipsum autem propter quid est ad mathematicos ipsos: hi namque causarum demonstrationes habent, & persape nesciunt ipsum esse quemadmodum ij, qui contemplantur ipsum univērsale, nonnulla singularium, quia non animadvertunt saepe numero nesciunt. En docet Aristoteles, scientiam subalternantem, cuiusmodi est mathematica verbi gratia scire tantum propter quid solitariē, & non applicatē ad ipsum esse, quo velut principio vitur subalternata, contra vero hanc scire duntaxat ipsum esse siue quia, sed sine notitia causarum: demonstratio igitur effectuum ex causis superioribus, & harum ad illos applicatio ad neutram earum facultatum spectat, si videlicet ambæ prout altrinscūs distinctæ sumantur, ut supra exposuimus. Posterior etiam nostræ doctrinæ pars est Aristotelis antecedenti c. 7. musica per arithmetica demonstratur. Et paulo infra: demonstratio verò ad aliud genus non accomodatur, nisi eo modo quo tam ad demonstrationem facultatis machinarum extruendarum, vel ad perspectivæ geometriæ, quam ad musicam arithmetica demonstrationes accomodantur. Vbi, cum ex forma verborum non liceat colligere, quenam facultas demonstrationem propter quid conficiat, subalternans, an subalternata, ut fatentur Conimbricenses ipsi, infra capite decimo quæstione secunda articulo secundo dicendum est ex mente Aristotelis, eam demonstrationem ad ambas simul spectare, modo nuper explicato.*

25 *Porro autem, quia hæc solutio nostra videtur quadantenus conciliare dissentientes aliorum sententias, & cum prima asserere, demonstrationem illam à priori, qua velut angulo quodam nectuntur scientia subalternans, & subalternata, ad hanc pertinere, & cum secunda sententia ad subalternantem, & cum tertia ad utramque, videmus quidem omnium difficultates in nos conuertisse quare operæpretium erit ostendere quatenus argumenta nostra aduersus alios nobis neutiquam aduersentur. Quod ergo obiecebamus contra primam sententiam, facultatem subalternatam non scire propter quid, id intelligendum est cum Aristotele, non de omni, sed de ea sola, quæ non est architectonica, & perfecta: quamobrem nobis negotium non facessit, utpote qui non more aliorum cuius facultati subalternata indiscriminatum sumptæ, sed soli architectonica scientiam propter quid attribuimus. Quod etiam secundo loco opponebamus aduersus eandem sententiam, iuxta eam fore, ut nemo haberet scientiam subalternatam sine subalternante, dicendum est id falsum esse, si utraque facultas indifcretæ, & univērsaliter accipiantur, sed non sequi: at verum esse & sequi ex nostra sententia, si ambæ facultates non quomodocunque, sed cum tota sua perfectione vsus, & doctrinæ sumantur.*

26 *Uterius prior difficultas aduersus secundam sententiam: tamque nisi coerceretur, haud leuiter premeus, facile à nobis diluitur: nihil enim prohibet, eum, qui habet scientiam subalternantem vsu perfectam, & consummatam, non posse non callere principia omnia subalternatæ, etiam si ea ignoret, qui subalternantem duntaxat inchoatam, & doctorem est assequutus. Proxima etiam difficultas haud magis nos sollicitat: namque demonstrationem propter quid, quæ principia scientiæ subalternatæ,*
R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

ex principiis subalternantis deriuat, ad neutram prout condistinctam ab altera spectare volumus: atque in hoc à fautoribus secundæ opinionis dissentimus: eam ergo magis ad vnam, quam ad alteram attinere aduersus illos rectè, & aduersus nos frustra inferitur: attinet ergo ad scientiam ab utraque distinctam: esto cum utraque nomine tenus conueniant.

Denique quas propterea sententia difficultates patitur, eas nostra procul habet: primam quidem, propterea quod scientia subalternans, & subalternata, ad quam dicimus, conclusio nem demonstratiuam propter quid, qua de agimus, pertinere, solo vocabulo sit multiplex, significatu tamen vna: vnde sicut hic actus, homo est animal rationale est Physicæ docentis & logicæ vtentis, & nihilominus vnus, & non multiplicis scientiæ, quia nomina illa diuersa non diuersam, sed eandem facultatem indignant, ita similiter impræsentiarum, &c. Secundam etiam: quia etsi ex nostra sententia sequatur scientiam subalternatam architectonicam scire sua principia, propter quid, non tamen quod ita ea sciat, quæ non est architectonica, sed imperfecta: Hoc autem posterius, quod non sequitur, absurdum est, non vero illud prius, quod vltro sequi fatemur.

C A P V T I V.

Quo iure supposuerimus, priorem, ac posteriorem speciem subalternationis eam proprie diuidere.

28 *Hæc priorem eius speciem, eam videlicet, quæ ratione finium & operationum euenit, illud controverti potest, num verum sit quod diximus, eam esse veram, ac propriam subalternationem? etenim id negant Molina prima parte quæstion. prima articulo secundo, disputatione tertia. Auerfa supra sect. sexta idem etiam colligitur ex Vasquez prima parte disputation. sexta capite primo numero primo. Attamen quod statuimus longo intervallo probabilius est, idque tueretur Durandus quæstion. 7. prol. num. 11. Fonseca libro 4. metaphys. capite primo quæstion. secunda, sectione secunda. Hurtadus disputatione prima metaphysica section. octaua, & communiter reliqui Authores. Suadet autem ex dictis: tum quia origo principiorum vnus scientiæ à principiis alterius vera vtriusque subalternatio est, iuxta omnes: ea vero datur, ut superius vidimus, quoties vna facultas alteri suppeditat instrumenta: quod nescio an satis animaduersum ab aduersariis: tum etiam quia Aristoteles & Plato, eorumque interpretes à quibus nomenclatura subalternationis ad nos manauit, ea complexi sunt hanc, de qua modo disputamus, ut eorum testimonia recolenti liquebit: vocum autem vsus maiorum arbitrio constat, eoque dirimenda est omnis circa illas quæstio, cuiusmodi est præsens.*

29 *Obiicies tamen primò: ars frænofactoria & equestris non sunt scientiæ: nullius ergo subalternationis sunt capaces: antecedens, perspicuum: consequentia suadet ex Patre Vasquez, qui loco proxime citato, hoc tanquam exploratum supponit, soli scientiæ proprie sumptæ subalternationem etiam propriam conuenire; adeoque ut Theologia nostra non sit subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, pro eo ac Caietanus, Capreol. & alij Thomistæ communi*

comminiscuntur, satis superque esse quod ea non sit scientia strictè & rigorosè. Respondeo negata consequentia, & eius probatione. Vnde enim colligitur, solius scientia ab Aristotele definita, propriam esse subalternationem, propriè sumptam? Vnde eam artibus etiam non congruere? Vnde denique Thomistas propterea hallucinari, quod Theologia nostra, cum scientia non sit, subalternationem tamen attribuant, & non potius aliis nominibus, quorum aliqua superius petstrinximus? Antecedens etiam argumenti aded constans non est, uti supponitur: namque, ut ex Aristotele lib. 1. metaphys. capite 1. in proemio Dialecticæ tractatu tertio ostendimus, ars equestris & frænofactiva & quævis alia similis, si sit architectonica, scientia dici meretur: hoc ergo ex titulo subalternatione cur destituitur?

30 Oppones secundò: subalternatio, siue dependentia scientiarum, si propria, ac vera sit, nequit esse mutua; nulla enim stricta causalitas valet retrorsum, ut in Physica ostensum est: atqui huiusmodi subalternatio, qua de loquimur, est mutua: nequit igitur esse propria, & vera. Minoris probatio: equestris dependet quoad instrumenta sua ab arte frænofactoria, cui illa debet, & accepta refert; contra etiam frænofactoria quoad eadem instrumenta dependet ab arte equestri, ex cuius directione, & imperio illa conficit, sicut ad equitandum oportet: mutua igitur hic dependentia interuenit. Confirmatur: quoniam si hic aliqua est subalternatio non mutua, cur non potius equestris subalternatur frænofactoriæ, à qua maximè pender, & sine cuius instrumentis nihil potest operari, & prorsus iners manet, ac inermis: consequens autem est absurdum, & aduersus omnes. Respondeo dependentiam quidem vnius facultatis practicæ ab alia mutuam esse, at non secundum idem, sed secundum aliud & aliud: nam ars frænofactoria pender ab equestri in cognoscendo, & non è conuerso, propterea quod equestris doceat modum quo frænofactoria sit operatura; contra vero huius mune non sciat illa, quo pacto finem exequatur suum: rursus equestris nihil agit, quin prius egerit frænofactiva, hæc vero opus suum exequitur, quin oporteat, illam prius equitandi munus obuisse: quare in operando dependet equestris à frænofactoria, & non è contrario: nouum autem non est, aliqua duo inuicem dependere, ac mutuo priora, & postera esse, non penes idem, sed penes aliud & aliud: finis enim secundum esse intentionale, & intentionis ordine prior est medio, & hoc illo posterius; contra verò medium secundum esse physicum, & ordine executionis prius est fine, & hic illo posterior. Porro autem ex hac doctrina haud sequitur, subalternationem duarum facultatum earumve subiectionem vnquam mutuam esse, sed potius solius artis instrumentariæ respectu principalis, & superioris: etenim subalternatio est dependentia vnius facultatis ab alia in cognoscendo tantum, quæ quidem non est mutua, ut vidimus, sed potius soli frænofactoriæ, v. g. respectu equestris, & non è conuerso conuenit. Hinc ad confirmationem liquefit.

31 Circa posteriorem speciem subalternationis, eam scilicet quæ merito obiectorum essentialiter eorundem, & accidentaliter diuersorum contingit, & scientiam aliquam practicam, aut speculatiuam cum alia speculatiua, ac superiori hoc pacto catenat, similiter disputari consuevit, an sit vera subalternatio, sicut asseruimus? Nam Caietanus prima parte, quæ-

stione prima articulo secundo, & Durandus citata questione septima, numero decimo, negant eiusmodi ordinem obiectorum esse necessarium, ut vna facultas practica, aut speculatiua propriè subiecta sit atque subalternata alteri, quæ vniuersalius, & eleuatiùs obiectum contempletur. Sed contrarium iure merito à nobis est statutum: ut enim suprà tàm ratione, tum longa inductione ostendimus, fieri nequit, ut vnius scientiæ obiectum accidentalem differentiam adiciat obiecto alterius à se distinctæ, quin à priori vnius principia dependeant à principiis alterius, sicut ad strictam subalternationem oportet: contra etiam nunquam est, ut vna facultas practica, aut speculatiua propriè subalternetur alteri itidem speculatiuæ, quin earum obiecta, prout diximus, inuicem sint comparata: rectè ergo positum à nobis est, discrimen illud accidentarium obiectorum esse veram subalternationem, & hanc, si sit vnius scientiæ respectu alterius contemplatiuæ, nisi ex obiectis ita institutis, eoque discrimine affectis nunquam proficisci. Atque post Aristotelem superius allegarum & antiquos eius interpretes ita sentiunt Aureolus, Gregorius, & communiter alij sententiarij in prolog. magistri. Item Suarez, Vasquez, Molina, Fonseca, Comimbrienses, Hurtado locis sæpe sæpius citatis, & Gilius libro primo, tractatu sexto, capite quinto & sexto, Zabarella libro de tribus præcogn. cap. 12. auctoritas ergo nobis fauet cui potissimè standum in questione de vocabulo.

32 Oppones tamen primum ex Durando: perspectiua subalternatur geometriæ: atqui illius obiectum non continetur sub obiecto huius, cum aliqua vtrinque diuersitate accidentali: nam obiectum geometriæ est linea, ac quantitas, obiectum vero perspectiuæ non est linea colorata, aut visualis, sed visio, aut modus videndi: ergo, &c. Respondeo data maiori, & negata minori, eiusque probatione mox subiuncta: quod enim non sola visio, sed etiam quantitas prout visa sit obiectum subiectumve perspectiuæ, constat ex iis quæ in Dialectica libro secundo, tractatu tertio, ubi veritas ita Dialecticæ subiecta est, ut etiam ibi res vera, seu verè cognita, & actus verus ei subiiciantur: ibidem etiam docui ex Aristotelis sententia, omnis & cuiuslibet facultatis subiectum esse non solum formam artificiosam, sed totum artefactum, prout complectitur materiam, cui illa intrinsecus aut extrinsecus accidit, eam ex regulis artis denominatur. Obiciis secundò ex aliis: frænofactoriæ subiectum opus non est obiectum equestris cum aliquo additamento; alterius enim subiectum est equitatio, alterius fræna: ea igitur obiectorum proportio, & cum identitate coniuncta diuersitas accidentalis, non est conditio necessaria ad veram subalternationem. Elumbe argumentum, utpote quod tantum probat, ad omnem veram subalternationem id genus conditionis non desiderari, quod incunctanter concedimus: at illud non requiri ad aliquam veram subalternationem,

eam scilicet, de qua sermo est in præfenti,
& à nobis negatum, & argumento facto neutiquam
refellitur.

C A P V T V.


Ex doctrina de subalternatione hactenus tradita quadam illationes.

33 **E**X hucusque dictis inferitur primò Conimbricenf. Hurtad. Fonsecam, alioſque plures eos ſecutos perpetam aſſignallè tres ſubalternationis ſpecies : primam ratione finis : alteram ratione obiecti : poſtremam ratione principiorum : vt enim vidimus, omnis vera ſubalternatio eſt propter principia, quæ diuerſa ſunt, in facultate ſubalternata, & ſubalternante, ſed mutuo tamen catenata, aliaque ex aliis deducta : quæ autem ſubalternatio eſt cauſa obiecti, & quæ finis ergo, nonniſi propter dictam principiorum dependentiam, & reſpectum ſubalternationis notionem participant : magis ergo eſt, vt ſubalternatio ratione principiorum ſit conceptus communis ſubalternationis alia verò duæ ex fine, & obiecto oræ ſint illius ſpecies, ac partes ſubiectiuæ, ſicut expoſuimus. Inferitur ſecundò, in hoc etiam peccaſſe prædictos auctores, quod multifariam diuiſa, ac ſubdiuiſa ſubalternatione, vt non magis diſtracta credideris membra Penſiteu, nullam tamen eius rationem communem aſſignarint : potuit enim aſſignari, vt viſum eſt, eaque vniuoca reſpectu duarum ſpecierum quibus ſolis, veras ſubalternationes eſſe permiſimus.

34 Inferitur tertio, tum aliquos horum, quos proxime retulimus, tum etiam alios, malè arbitratos eſſe fieri aliquando, vt tres conditiones concurrant ad vnā ſubalternationem veram conſtituendam, quarum prima eſt vt ſcientiæ ſubalternationi ſubiectæ conueniant eſſentialiter obiecto, ſecunda vt eo differant accidentaliter, tertia vt penes principia quendam originis ordinem ſeruent : hæc enim poſtrema ratio eſt ſola, & tota eſſentia ſubalternationis propterea, contrahitur autem per eam dependentiam, & originis ordinem, qui contingit ratione obiectorum, ſicut & per illum qui accidit ratione finium. Inferitur quare aduerſus Patrem Hurtadum, medicinam non eſſe partem Phyſicæ, ſed ſcientiam ei propriè ſubalternatam : eius namque ſubiectum non eſt corpus tempeſtatum, & eſſentialiter collocatum, ſub corpore ſenſibili in communi, quod Phyſicæ obiectum, in quo falſus fuiſſe videtur prædictus auctor, ſed potiùs corpus propterea extrinſecè ſanabile per medicamenta ſibi applicata : obiectum ergo illius accidentaliter, & per extrinſecum quendam reſpectum ſuperadditum diſſidet ab obiecto Phyſiologiæ, ſicut ad veram vtriuſque facultatis diſtinctionem, ac ſubalternationem oportet. Atque ita de vtraque ſentiunt Conimbricenſes in præmio Phyſicorum quæſt. 3. art. 3. vbi pro ſe pleroſque medicos, ac philoſophos referunt. Inferitur quinto, aduerſus Pererium 1. phyſicorum cap. 4. ſanè ſcientiam ſubalternantem, & ſubalternatam conuenire vniuocè in ratione ſcientiæ : quod enim vna dependeat ab altera, id non tollit, quo minus vtraque ſit vera ac propriè ſcientia, ſicut ad vniuocam conuenientiam oportet, præſertim cum Deus, & creatura, accidens, & ſubſtantia, quorum dependentia, ac ſubordinatio longè maior eſt, nihilominus ſtrictè, & propriè ſententia, & quod conſequens eſt, in conceptu entis vniuocè conueniant.

35 Inferitur denique præter propriam ſubalternationem, quam ſtatuiſimus in duas diuiſam eſſe ſpecies, aliam reperiri impropiam, eamque multiplicem &

variā. Prima accidit, quando ſcientiæ ex obiecto, & fine ſunt diſparatæ, & nihilominus vnum vel aliud principium vnius probatur à priori per aliquod alterius; quo pacto medicina ſubalternatur geometriæ : medicus enim probat circulare vulnus reliquis omnibus eſſe difficilius ad curandum, quia eſt geometricum principium, partes circuli maximè inter ſe diſtare, quo ſit vt ſi vulnus eius ſit figuræ illius partes hoc ipſo tardius coeant, & cicatricem obducant. Secunda ſubalternatio impropra eſt, quando obiectum vnius ſcientiæ collocatur eſſentialiter ſub obiecto alterius, illudque non per accidens contrahit : quo modo Metaphyſicæ, quæ de ente ſubſtantia, & accidenti diſſertit, reliquæ ſcientiæ ſubalternantur. Tertia ſubalternatio aliena eſt, cum principia vnius facultatis probantur per ea, quæ ſunt alterius, non oſtenſiue, ſed per deductionem ad impoſſibile: vt cum geometer probat, diametrum quadri non eſſe commenturabilem eius lateri, ſiue non habere cum eo meſuram communem, quia aliàs eam haberet vnitas cum numero, cuius tamen repugnantia, & impoſſibilitas eſt arithmeticum axioma. Eodem ritu ſubalternantur ceteræ facultates Metaphyſicæ : omnes enim ex negatione eius quod intendunt, id aliquando inferunt, fore vt idem habeat eſſe, & non eſſe, ſiue vt aliqua terminorum contradictio ſequatur : at impoſſibilitas contradictionis, cuiusve quod eſt quidpiam ſimul eſſe, & non eſſe, à Metaphyſica demonstratur. Quarta ſubalternatio impropra, ac metaphyſica eſt, quando quouis alio modo præter eum, quem inter explicandam veram ſubalternationem propoſuimus, vna facultas aliam inuat, nimirum aut ſuggerendo ei exemplum, quo ſe explicet, aut remouendo errorem, cuius ſpecie poſſet impropra materia deludi, aut probando aliquod eius principium, vel à minori ad maius, vel à maiori ad minus, vel à pari, vel à contrario, vel alio quolibet pacto: multifariam enim contingit, vt ſicut omnes virtutes mutuo ſe inuant, ita etiam, mutuam ſibi operam præſtent omnes ſcientiæ : ad quarum impropiam hanc, & ſuſam ſubalternationem reſpexit Tertullianus lib. de idololatria, vbi dixit, *nulla ars non alterius, aut mater, aut propinqua eſt.*



TRACTATVS V.

Quo pacto attribuantur inuicem obiecta habituum intellectuum, ſive ſcientiarum habitualium.

C A P V T I.

Quodnam ſit obiectum attributionis, quodnam attributum ſcientiæ totalis.

IN VRE meritò quæſtionem inſtituimus de obiecto attributo, & attributionis ſcientiæ totalis : nam ſi ſermo de ſcientia partiali id eſt conſuſione demonſtratiua, nulla erit in vtroque ei aſſignando difficultas : ſiquidem ſubiectum ſcientiæ partialis, ſiue vnius cuiuſdam conſuſionis demonſtratiuæ, eſt omni proculdubio eius obiectum attributionis, prædicatum verò eius attributum, præmiſſæ autem obiectiuæ illius obiectum formale. Porro hæc tria genera obiectorum luculenter diſtinxit Ariſtorel. libro 1. poſteriorum analiticorum lect. 15.

R r 4 translatio